

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Voluptas i
cum fonte primo

Quis hostis in quemquam tam
contumeliosus fuit quam in quosdam
uoluptates sue?

Quidam se uoluptatibus mergunt quibus
in consuetudinem adductis carere non
possunt, ob hoc miserrimum est quod
eo peruenerint ut illis que superuacua
fuerunt facta sunt necessaria. Seruiunt
itaque uoluptatibus non fruuntur et
mala sua quod malorum ultimum
est amant.

Seneca XXVIII. epistola.

Qui hostis in quemquam tam
contumeliosus fuit quam in quosdam
uoluptates sue sunt?
quorum in potentiae atque insanae
libidini ob hoc unum possis ignoscere,
quod quae fecere patiuntur. Nec in merito
hic illos furor vexat; necesse est enim in
immensum exeat cupiditas quae
naturalem modum transilit. Ille enim
habet suum finem, inania et ex libidine
orta sine termino sunt. Necessaria
metitur utilitas: supervacua quo redigis?
Voluptatibus itaque se mergunt quibus
in consuetudinem adductis carere non
possunt, et ob hoc miserrimi sunt, quod
eo pervenerunt ut illis quae supervacua
fuerant facta sint necessaria. Seruiunt
itaque voluptatibus, non fruuntur, et
mala sua, quod malorum ultimum
est, et amant;
tunc autem est consummata infelicitas,
ubi turpia non solum delectant sed etiam
placent, et desinit esse remedio locus ubi
quae fuerant vitia mores sunt.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 39, 5-6 (L. Reynolds
ed., vol.1, pp.103-4, ll. 25-29, 1-11).